Stephanus Rex Pol.

Gorscii Iacobi: Orationes gratulatorias

Crac. in off. Lazari. 1582.

D. IACOBI GOR-
SCII ORATIONES
GRATVLATORIÆ,

Apud Serenis: Regem Polonię STEPHANVM
Batoreum, diuersis temporibus habitę,
quatuor.

*His adiuncta est in Calce quinta, ad Illustrißimum &
Magnificum, D. Ioannem Zamoscium,
Cancellarium Regni, &c.*



CRACOVIÆ,
Anno Domini: M. D. LXXXII.

AD SERENISSIMVM REGEM POLONIÆ STEPHANVM *Batoreum, in quatuor orationes gratulatorias, apud eundem ipsum Regem victorem et triumphatorem, habitas,*

IACOBI GORSCII PRÆFATIO.

QVAM, INSIGNES VICTOriæ, résq; post conditum hoc regnum Poloniæ, arduæ & difficiles à M. vestra gestæ, voluptatem & lætitiam nobis, Serenissime Rex, attulerunt; eam temeritas quorundam, libertatis, vt illi dicunt, hominum studiosorum, vt autem nos sentimus, inuidentia æstuantium, turbauit. Videmus enim, videmus, quorsum libertas ista hominum istorum feratur: videmus, quas insidias veræ libertati, à maioribus nostris nobis relictæ, tendat. Specie libertatis, isti, tuendæ, libertatem ipsam omni libertate exuere conantur: ac Rempubli: virtute & sapientia maiorum nostrorum bene fundatam euertere contendunt. Neq. enim, si ista eorum libertas, vel potiùs effrenata licentia, se diutius iactauerit, libertati vllus relinquetur locus: nunquam enim libertas præsidijs spoliata, vlla in Repub: consistere potuit. Præsidia autē libertatis sunt domi leges, foris

 verò

verò arma: legibus aduersus domesticos veræ libertatis oppugnatores munimur; foris arma aduersus hostes, in seruitutem nos asserentes, induimus. Vbi nec arma contra hostem fuerint, neq. domi leges aduersus temeritatem ciuium suam vim obtinuerint; ibi nullus libertati, quam isti plenis concrepant buccis, locus esse potest. Depositis armis, hostis in inermes pro sua libidine grassatur, & tanquam pecus in seruitutem abducit. Quod nos cùm aliàs sæpe, tùm verò relicto ab Henrico Valesio, quem regem in locum Augusti demortui ceperamus, regno relicto, ita esse experti sumus: cũ nemine regni fines defendente, proluuies illa Tartarorum Rusiam inuasisset, ac tot millia hominum, de libertate, tùm intempestiuè nobis disputantibus, in seruitutẽ abduxerit, totámq. Turciam captiuis nostris, cum summo regni nostri probro, repleuerit: quo eodem tempore impudentes quidam, ciues dicam an latrones domesticos, legum authoritate euersa, & laxatis cupiditatis suæ frænis, quàm grauiter regnum vexauerint, fortunasq. nostras diripuerint, pacis vinculum, ius & humanum & diuinum turbauerint, ac quantũ in illis fuit, omnem libertatem, quam crepare nunquam cessant, euerterint, quæ scelera patrauerint, quas cædes commiserint, quam vim ingenuis hominibus intulerint, quam impudenter in vicinos suos grassati fuerint, ne illũ grauissimum dolorem nostrum refricẽ, dicere prætermitto. Agnoscit certè M. vestra, causis criminibusq. cognoscendis, quæ libertas tùm nostra, libertatis istius

nouæ,

nouæ, & maioribus noſtris ignotæ, propugnatoribus graſſantibus fuerit. Quorum audaciam, ac in omne facinus effuſam temeritatem, quoniam repræſſo hoſte, qui ceruicibus noſtris imminebat, M. Veſtra reſiſtere contendit, vtrumq. genus veræ libertatis præſidiorum M. veſtræ conantur eripere. Nam & neruo belli pecunia, quæ in hoc regno è tributis ſemper colligebatur, te exſpoliatum, hoſtibus obijcere cogitant: & quod hoſtis ne optare quidem, nedum ſperare auderet, regnum illi inerme, & omni præſidio nudum, deuaſtandum exponunt, & vltrò ad calamitatem noſtram eum prouocant: & quod non pauci proditores fraude ſua perficere non potuerunt, iſti apertè faciunt. Quid enim eſt regem armis exuere? præſidia regni tollere? quàm hoſtes ad inuadendum regnum inuitare? Arma ſunt regni ſalus: armatus princeps, vel ſolo nomine hoſtem coërcet: Arma tua, Sereniſs: Rex, animuſq. inuictus, & Moſchum ad pacem petendam venire, & prouincias, aut fraude occupatas, aut per vim ereptas reſtituere coëgit, & alios in officio continuit. Qui fama rerum à M. V. geſtarum ita conterriti; vt prædarum quas impunè agebant, obliti, domi & intra ſuos fines ſe contineant. Quod ſi iſti nouæ libertatis noſtræ propugnatores cogitarent; ſi grati diuini huius beneficij, quod ſolo te rege, conſecuti ſumus eſſe vellent; omnes ſuas fortunas tibi in eum vſum, & regni ſalutem, vltrò offerrent: nec eorum virtuti, quorum conſilijs & laboribus non ſolùm libertatem,

ſed vitam etiam ipſam retinent, inuiderent: teq́. potiùs in hoſtem ſigna ferentem ſequerentur, quàm, inter immania illa ſua pocula, virtuti & tuæ, & tuorum, detraherent, nec tuam impreſsionem retardarent. Genus hominum & beneficiorum ingratũ, & publicæ ſaluti infeſtum. Qui idem, ne domi pacem componas, ne ſceleratos iuſto ſupplicio mactes, ſuis importunis clamoribus, ac omni æquitati inimicis legibus ſuis, te impediũt: manibus ſacris M. veſtræ, ne & oppreſsis opem feras, & facinoroſis ſupplicia merita irroges, libidiniq́. eorũ omnia iura ac leges permittas, manicas iniiciunt. Vnde fit, vt cùm libertatem ſe tueri patroni iſti noui clament; libertatem prorſus euertant: armis enim quæ foris hoſtẽ coërcent ereptis, & legibus, quæ pacis vinculum ſunt, libertatisq́. alumnæ euerſis, quid eſt, quod amplius ſperemus? quam libertatem retineamus? & hoſti, & domeſticis graſſatoribus præda facti. Quod cùm apud animum noſtrum reuoluimus; acerbo dolore cruciamur: ac non ſolùm libertatem nobis; ſed etiam vitam ipſam noſtram ac regni ſalutem eripi iudicamus: vſumq. eorũ fructuum & ornamentorum, quæ diuina tua virtus parit, iſtorum ſcelere eripi nobis vehementer dolemus: dignaq́. ſupplicia eorum audaciæ & temeritati, ne dicam in patriam impietati, à Deo omnium ſcelerum vindice expoſcimus. Quorum furor, ne tui animi conſtantiam ſuo loco moueat, non veremur. Videmus te eum regem eſſe, quem nullius audacia, nullius potentia terreat: videmus te, non ſolùm non cedere malis, ſed ſemper con-

trà

trà audatiorem ire: contempſiſti potentiſsimi & ſuperbi hoſtis Moſci minas: fregiſti eius animos implacabiles, ac eò deduxiſti; vt nomen tuum non abſq. terrore ſuo audire ſoleat. Non difficilè & domeſticis malis tua iſta diuina ſapientia occurres, ac inteſtinum morbum tua prudentiſsima medicina ſanabis: quas iſti tempeſtates excitant, prudentiæ tuæ cedent, & ſua vanitate qua tumeſcunt, concident. Vt nunc te triumphantē ex hoſte externo cum lætitia excepimus; ita domeſticis tempeſtatibus ſedatis, & fluctibus in capita ſedicioſorum redundantibus, M. veſtræ victoriam nouam gratulabimur. Nunc externæ huius victoriæ gratulationē à nobis cōſcriptam M. veſtræ offerimus: & vel hoc vno munere, quod ſolùm præſtare poſſumus, virtutem tuam diuinam, meritaq. in regnum, noſq., omnes honoramus. Sunt autem huius gratulationis de victoria Moſcouitica tres orationes, quarum vna eſt in ſupplicationibus, nunciata nobis pace cum Moſco facta, & Liuonia reddita, in Diui Floriani æde, publicè, in vniuerſoq. Scholæ noſtræ conuentu à me habita: quam duæ in eodem argumento conſecutæ, quibus M. veſtræ & reditum in regnum incolumem, & victorias tam inſignes gratulamur, & plerunq. temeritatem noſtrorum hominum, animumq. ingratum, & ornamentorum, quæ nobis S. M. veſtra ſua virtute parit, & ſalutis, quæ in tuo præſidio acquieſcit, reprehendimus: quibus quarta, qua M. veſtram Leopoli in hanc vrbem ingreſſam excepimus, ac pro noſtro officio ſalutauimus, acceſsit. Quod mu-

nuſculum

nusculum nostrum, animiq́. nostri ardorem, erga R. M. vestrã promptissimum,& constantem obseruantiam erga se, vt M. vestra benignè & prolixè, vt iam aliâs sæpiùs fecit, à me fidissimo subdito suo recipiat, maiorem in modum rogo: vt hac animi tui benignitate, dolorẽ, quem temeritas aduersus M. vestram & regni salutem male feriatorum hominum nobis parit, consolemur ac leuemus. Omnia fausta M. vestræ opto. Cracouiæ, ex ædibus nostris Collegij Iurisconsultorum.

D. IACO-

ORATIO I.

D. IACOBI GORSCII APVD SERENISSIMVM REGEM STEPHANVM, E MOSCOVIA victoria parta, & pace confecta Cracouiam reuerſum habita.

B*ENEDICTVS DOMInus Deus, pater miſericordiarum, & totius conſolationis noſtræ: benedictum nomen eius æternum; qui deſiderio noſtro, votiſque noſtris, pro S. R. M. veſtra toties ſuſceptis, benignè reſponderit: ſollicitos animos noſtros, de incolumitate M. veſtræ, belliq́; offenſionibus, erexerit, ac ſumma læticia refecerit: qui M. veſtram & incolumem, & multis, magníſq; victorijs decoratam, & inſigni ſplendentem gloria, rebus arduis, difficilimíſque laboribus quæſitam, hoſte potentiſſimo profligato, multis vrbibus eius, & munitionibus firmiſſimis, vel expugnatis, vel integris in ditionem acceptis, regnoq́; noſtro, & imperio ipſius adiectis, Prouincia Liuonia, è faucibus tyranni erepta, Reipub: noſtræ, quod nunquam poſt conditum hoc regnum accidere potuit, adiuncta; in regnum primùm, deinde legibus pa-*

cis, publica comitiorum authoritate confirmatis, iustitia iamdudum hinc exulante, in suas sedes reuocata, controuersiis ciuium cognitis, sceleratis hominibus debito supplicio affectis, iure suo cuiq; reddito, religione, nostris moribus & audacia pressa, & si non plenè suo iuri restituta, recreata tamen, in hanc vrbem, & M. Regiæ sedem, & literarũ alumnã, quæ M. V. in hoc regnum venientẽ primùm excepit, dominum suum magna cum lætitia salutauit, in sede Regia locauit, corona decoris, & æternæ gloriæ, perpetuiq; honoris adornauit, triumphantem ac spolia opima ex hoste superbo refferentem, pro sua in nos singulari benignitate, deduxit: ac toti regno, in tam illustri loco, victorias tuas, decora tua trophæa, ac triumphos tuos, splendoremq; gloriæ tuæ, ab omnibus spectandum constituit. Vnde cùm omnes, qui sunt regni huius incliti alumni, & veri ciues, voluptatem immensam capiant; tùm verò nos, qui rei literariæ in hac vrbe curam suscepimus, qui non minus in M. vestra, quàm imperatorias artes, reiq; militaris scientiam admiramur ac suspicimus, præcipuè percipimus, ac plenis sensibus haurimus, & quod literarum contemptoribus obijci à nobis possis, habemus. Inualuerat opinio illa Barbaris hominibus innata; literarum studia, ociosis hominibus propria esse; nihil ad res magnas gerendas, Rempub: administrandam, adiumenti afferre; imò potiùs ingenia rebus gerendis apta retardare. Quam opinionem S. M. vestra egregiè suo clarissimo exemplo refutauit; atq; contrà, quàm isti sentirent, literarum studia, eruditio-

laudat[ur] à doctrina.

nemq;

nemq; verum, & principibus viris dignam, & domi Repub: bene adminiſtranda, legibus conformandis, pace tuenda, iuſtitia conſeruanda, ac ciuibus in officio continendis, & in bellis gerendis, diſciplinaq; militari ad victoriā conuertenda, non modo auxilia magna præſtare, verùm enimuero abſq; eis, nihil rectè, nihil commodè, nihil decorè, & domi pace regenda, & foris hoſte comprimendo, & victorijs comparandis, egregium confici poſſe, demonſtrauit. Nam, ſi interdum rudes literarum, rudes rerum à condito orbe geſtarum, & qui infantium inſtar, quid, antequam nati fuerint geſtum ſit, ignorant, aliquid non reprehendendum egerint, victoriam ex hoſte retulerint; id non eorum virtuti & prudentiæ, verùm fortunæ temeritati, quæ in rebus humanis non paruam vim habet, acceptum ferri debere, viri magni ſemper iudicarunt: qui tùm demum beatas Reſpub: & imperia ſtabilia fore cenſebant; cùm ea eruditi viri, vetuſtatis peritiſsimi, ac omni genere bonarum artium exculti gubernarent. Quod iudicium ſapientiſsimorum virorum, S. M. veſtra, & veriſsimum, & Rebuſpub: vtiliſsimum, ſuo clariſsimo exemplo demonſtrat: ac voces barbarorum, qui literas à rebus gerendis ſemouent, & principe in Republica viro indignas, temerè pronunciant, reprobat. Docuiſti enim ſapientiſsime, & inuictiſsime REX, & rebus indubitatis demonſtraſti, literarum ac bonarum artium ſtudia, in omni genere Reipub: & imperij, & inſtituendi, & regendi præſidia, maximam vim habere: &

Sine literis non bene administrant Respub.

Respub felices.

literarum studia maximam vim habent.

eos commodè, & domi in pace Rempubli: administrare, & bella gerere, qui illis opibus bonarum artium instructi fuerint; qui sapientia, quæ literarum est alumna, pectora exculta ad res gerendas attulerint; qui, rebus à maioribus gestis, res suas, temporibusq; vetustis, sua tempora conferrent, atq; inde, quid consequens esset, elicerent: & quæ offensiones vitandæ, tum domi, tum foris, & in bello gerendo essent, quæ exempla imitanda fuerint, prouiderent. In quo genere, Serenissime Rex, quoniam facilè primas partes inter rerum moderatores, & imperiorum gubernatores, teneas, à primo in hoc regnum ingressu, magnas res aggressus, felicissimè, & optato euentu conficis: ac regnum hoc, multis iam annis, vel inscitia, vel temeritate, ac negligentia principum virorum corruptum, & ad omne insolentiæ, audaciæ, & temeritatis genus perductum, in suũ ordinem reducis; legum cancellos, & iustitiæ repagula, audacia nostra plusquàm barbarica effracta, reparas: & ad eam moderationem, quæ à sapientissimis, optimis, & pientissimis principibus expectatur, reuocas: audacium conatus comprimis: rapinarum impetum retardas: impietatem explodis: pietatem, scelere multorum vel perturbatam, vel conculcatam, & tantum non planè extinctam excitas, & suæ integritati restituis: aras euersas erigis, CHRIStum Iesum Dominum nostrum, tot contumelijs in hoc regno, (quod quædam sentina hæreticorum & improborum, è toto orbe Christiano proscriptorum, factum est) affectum tua singulari pietate placas: faciemq; eius, tot blasphemijs detur-

Laus Regis à praeclare gestis

deturpatam ac sordidatam, pientissimis tuis lachrymis lauas: ornatumq́; suis illis paternis vestibus, quibus impia hæresis, satellitumq́; sathanæ improbitas eum exuerit, in suo illo æterno solio, à Deo patre sibi dato, locas: vineam, quam ille plantauit, quam sanguine suo irrigauit, exturbandis apris illis ferocibus, qui eam deuastarunt, exornas, ac omni fœtu pietatis, & virtutum instruis, maceriaq́; inuicta tuæ Regiæ authoritatis munis, & impietati occludis: pace cum vicinis composita, rebus ciuilibus rectè constituendis, ac controuersiis inter ciues componendis, totum studium intendis; vt sublato foris bello, contentiones domesticas, & intestinum malum, è corpore Reipubli: euellas, neq; deinceps mutuis inuidiæ vulneribus, ciues tuos se cōficere permittas. Quod cùm effeceris, cùm dissentientes, & mutuo odio deflagrantes ordines, ad concordiam reduxeris; & nobis, ciuibus tuis salutem, & M. Tuæ imperium florens, regnumq́; inuictum paries: ciuium enim consentiens voluntas; & Reipub: salus est, & principis sui robur & ornamentum. Neq; enim illi probandi sunt, qui tùm demum imperium Principis felix esse fabulantur, eiusq́; authoritatem & potentiam tùm maximè vigere asserunt; cùm ordines ciuium discordia, & mutuis odijs, ac etiam armis se appetant: propterea, quod vires Reipub: diuersis studijs distractæ, infirmiores libertati suæ tuendæ, & principi resistendo fiant. Quod quidem tyrannis illis, qui ciuium libertati, fortunis, ac ipsi etiam vitæ insidias moliuntur, persuasum esse, & vtile videatur, S. R. M. vestræ

Principi, & Domino clementiſſimo, & regni, quod recepit gubernandum, propagatori, ac patri benigno, probari non poteſt: non enim minuere libertatem noſtram, non priuare nos fortunis & patrimonijs noſtris, non perdere nos; ſed augere, ornare, felices, & omni genere fortunarum opumq; auctos, incolumes, ac florentes reddere contendis: totumq; ſtudium, omnes conatus, omnem regiam authoritatem, omnia conſilia, curas, & cogitationes eò confers; vt nos vnà cum regno, diſcordijs noſtris, cæteriſq; vicijs conſauciato, primùm ſanes, vulnera eius alliges, deinde florentiſſimum, & omni ex parte beatiſſimum reddas: hæc vna voluptas M. veſtræ fuerit, ſi nos omni genere fortunarum, regnumq; concordia, pace, & opibus firmatum relinquas. Quæ quidem cogitationes M. veſtræ inuictiſſime Rex, tantumq; ſtudium Reipub: noſtræ exornandæ, ciuium beatorum reddendorum, religionis, & pietatis tanta cura, non aliundè promanat, quàm ex fonte illo bonarum artium, & humanioris doctrinæ, quam non ſummis tantum labris M. veſtra, vt multi ſolent, attigerit; verùm enimuerò totum illud, quicquid in eo genere laude dignum, quicquid moribus conformandis, barbariei extinguendæ, virtuti fouendæ, Reipub: gubernandæ, ciuibus regendis, imperijs adminiſtrandis, vtile & aptum ſit, totum exhauſerit. Artes ingenuæ, ſtudia literarum, & Philoſophiæ, ab ineunte ætate ſuſcepta cura, ijs omnibus, quæ in M. veſtra elucent, virtutibus, & regni tanta dexteritate gubernandi te ornarunt, rebuſq; magnis, &

omni

omni memoria, laude, & gloria dignis, idoneam reddiderunt; & sapienter imperandi, artes, rationesq; tibi demonstrarunt; teq; et sapientissimum Reipub: gubernatorem, & summum hac ætate imperatorem, illisq; maximis principibus, quorum memoria toto orbe terrarum nunquam lucere cessat, parem reddiderunt. Et equidem magna ea sunt, quæ de Scipionibus Romanis, qui à Poëta fulmina belli appellantur, memoriæ mandata sunt: magna, quæ magnus Pompeius gessit: maxima & admiranda, quæ Iulius Cæsar toto orbe terrarum patrauit; quibusq; gestis perfecit, vt suum nomen, quicunq; magni imperatores videri velint, etiam apud ipsos barbaros appetant, Cæsaresq; appellari contendant: cum quibus, tua quæ geras, nisi inuidiam, quæ genti Polonæ non insolens est, metuam, pari lance conferrem, demonstraremq; illos tam potentes, tam victoriosos principes, si vel illi in tam inops, & ab omni apparatu rerum gerendarum vacuum venissent regnum, résq; eas, quæ à M. V. cũ tanta dexteritate geruntur, agere vellent; nunquam tibi pares futuros, nullamq; rebus gerendis in tam perturbato, & ab omni copia imparato regno, gloriam sibi comparaturos fuisse: vel si M. tua in tam opulentam Rempub: opibus è toto orbe terrarum congestis, tot legionibus ciuium, tot, tantisq; sociorum, & amicorum præsidijs firmatam, tot, & tantis exercitibus, & ea rei militaris disciplina roboratam, venisset, & imperij habenas in ea accepisset; non dubium fuerit te multo maiora gerere potuisse; nec pauciores, inferioresq; triumphos, quàm

Scipio. Pompeius. Julius Caesar. Victoriosos principes.

illi

illi consecuti fuerint, consecuturum fuisse. Magna sunt illa, quæ illi gesserunt; sed magnis opibus Reipub: instructi, ad ea gerenda accesserunt; cùm M. vestra vix inuenerit, vnde seipsam cum necessarijs vitæ tuendæ ministris sustentare posset. Nulla certa arma, nullam pecuniã, nullos neruos gerendi belli, nullam deniq; disciplinam & militarem, & ciuilem, in hoc reperit regno. Et quanquam ita imparatos ab armis, ita inopes à pecunia nos, & discordiæ insolentiæq; plenum regnum inuenerit; nihilo secius ad res maximas gerendas, socias vrbes parere, M. vestræ recusantes, ad officium præstandum reuocandas, hostemq; superbum, & toti regno excidium, post tot victorias minitantem, omni cunctatione remota, statim animum vertit, hostes sumptis armis profligauit, ad officium socias ciuitates reduxit, quæ maiores nostri, aut alijs occupati bellis, aut per ignauiam suam, rerumq; gerendarum imperitiam, cum summo suo probro, & regni dedecore, totos centum per annos, hosti cedendo amiserant, intrà triennium recuperauit: dedecus illud nostrum, virtute summa, tot victorijs partis, tot vrbibus ex hoste vel receptis, vel penitus euersis, abstersit; rei militaris gloriam nobis reddidit, ac in possessionem eius nos restituit. Obsessa Plescouia, vrbe totius Moschouiæ & munitissima & amplissima, ita hostem terruit; vt nihil præter fugam, & latebras, paludesq; cogitaret: omnes eas conditiones, quas à M. vestra oblatas, superbè vt solet, reiecerat; vltrò deinceps & cupidè appeteret. Vniuersa Liuonia, quam pluribus annis,

Nihil Rex reperit intra regno.

rei militaris gloriam reddidit

nis, prælijs multis, copijsq́; innumeris in eam infusis, nō sine magno impendio, et suorum sanguine multo quæsierat et occuparat, cederet: quam & si omni genere cōmeatus, omni rerum copia instruxerat: firmißimis præsidijs munierat: ac sibi, vt res ipsa erat, persuaserat, neminem tam potentem, tam ab armis et exercitu instructum inueniri posse; qui vel minimam eius regionis vrbem expugnare, capereúe posset: non solùm enim omni genere commeatus & armorū, copia militum fortißimorum, ac fidißimorum ciuiū numero, Imperatorumq́; rei militaris scientia florentium, eas vrbes munierat; verùm etiam omnem aditum in ea loca, qua adire possent, obstruxerat: tamen omnia illa, tot laboribus, tot impensis, tot offensionibus belli, mortibusq́; suorum quæsita, mutato ne dicam, an verò abiecto animo, depositaq́; illa tyrannica arrogantia, qua conditiones honestas reijceret, M. vestræ tradidit: præsidia deduxit: arma, quibus munitiones instruxerat, reliquit: nihilq́; inde, quod bello gerendo, & hosti propulsando, neceßarium esset, asportauit. Ita factum, vt non solùm prouincia, & vrbibus munitißimis, arcibusq́; machinarum bellicarum copia instructis, M. vestræ cederet; sed etiam arma omnis generis, aduersum seipsum traderet. Quid est autem, quòd tantū pertimuit? cur in aciem non descendit? cur totam rem in discrimen non deduxerit? cur intra munitiones, suos se continere præceperit? nec paribus viribus in certamen descēdere eos permiserit? Non equidem illi tam terribilem exercitum, armaq́; M. vestræ fuisse, qui & armorum copia

C *abun-*

mortibusq́

abundaret, & militem innumerabilem et multis annis bello gerendo, & laboribus continuis duratum haberet, credendum fuerit; quàm prudentiam: quàm in rebus & tẽtandis & perficiendis dexteritatem: quàm in tollerandis rebus constantiam, animumq́; pericula omnia contemnentem. Virtutem ille tuam, fortem animum tuũ, summamq́; sapientiam, ac belli gerendi peritiam pertimuerat. Vidit M. vestram, nihil temerè, nihil fortuitò aggredi: omnia prouidere, ac consilijs sapientissimis, omnia quæ ageres, munire: semel obsessam vrbem continuò vrgere: nec vllis iniurijs cœli, & temporum, quæ magnam vim expugnãdis exercitibus habet, nec comeatus inopia, nec armis hostilibus, te ab obsessa vrbe depelli posse. Dederas illi tuæ perpetuæ constantiæ, & animi inuicti documentum; cùm primum Polociam obsidione cinxeris: vnde te, neq; fames, neq; continui imbres, & tempestates, cœliq; vlla iniuria, nec soli obscœnitas, cœnumq́; illud, in quo, ne equi quidem robustissimi consistere possent, neq; manus illa, suorum selectorum militum, quos omni genere armorum, et commeatus instructissimos, in eam munitionem deduxerat, depellere potuerint. Vicisti, inuictissime Rex, apud eam vrbem, non solùm exercitum & præsidia Moschi; verùm etiam cœlum ipsum, tempestates ipsas, atq; illam, quæ viscera militum, fortissimorumq́; virorum perurat famem, rerumq́; inopiam. Cum pluribus hostibus tibi eo in loco bellum erat: ex vrbe præsidia erumpebant: milites tui, omni genere tormentorum, globisq́; ferreis appetebantur: cœli ruina, imbresq́;

bresq́;

bresq; aßidui ſuper caput aſſiſtebant, ac in militem, hoſti arma inferentem, deſeuiebant: qui ne liberè in hoſtem ferrentur; pedes eorum cœnum illud obſcœniſsimum morabatur, & quaſi pedicas virtuti eorum inijciebat, & improba fames inſultabat. Quæ tu tamen omnia conſtantia tua, animiq; inuicto robore ſuperaſti. Vrbem illam munitißimã, parte eius ignibus conſumpta, in deditionem recepiſti, ac poſſeßionem eius regno tradidiſti: ignauiterq; amiſſam regionem illam totam, magna virtute, & animi robore, hoſti ereptam, nobis reſtituiſti: ac Moſchi præſidia, arcéſque eius inexpugnabiles, expugnari poßc docuiſti: nihilq; tam munitum, tam arduum dari poſſe; quo virtus non perrumpat, quod animus conſtans non euincat, demonſtraſti. Capta ea vrbe, putabat hoſtis te belli curam prorſus depoſiturum fuiſſe: tùm quòd Polociam regni Poloniæ nuper occupatam prouinciam recepißes, & non leuem gloriam ea victoria apud tuos quæſiuißes, & hac vna victoria, vt maiores noſtri, qui in eandem regionem cum exercitu mittebantur, ac vna munitiuncula expugnata, victorioſißimi, intra duos treſue menſes, domum, exercitu dimißo, recurrebant, ac ſuas res geſtas, plenis tubis canebant, facere ſolebant; cùm ille ſtatim vt receßiſſent ſua recuperaret, ac euerſa firmius multò muniret; tùm quod apud nos, non niſi viritim collata pecunia, & tributo annuo ægrè impetrando, ſtipendia militibus penderentur, nullumq; alium belli gerendi neruum inueniri non ignoraret, & haberet, qui ſecurum ſe redderent, & nunquam nuncios tribu-

 tum

tum annuum dari permissuros, affirmarent, eoq́; totam rationem M. vestræ deductum iri; vt necesse esset M. vestram ob pecuniæ & stipendiorum inopiam bellum deserere, & ad pacem petendam supplicem venire. Quam & Moschi, & perditorum spem, M. vestra statim inanem fuisse monstrauit: contribui pecuniam annuam in stipendia militum oportere, facilè omnibus persuasit. Primo vere exercitum ad hostem reduxit: & primo egressu, vrbem illam, quæ à venustate & amænitate conuallium, Magna Prata idem hostis appellare, & vbi per otium deliciari exercitusq́; suos, tum in Litwaniam, tum in Liuoniam, quasi è portu quodam immittere soleret, igni in munitiones iniecto, expugnasti: præsidiarios milites, partim ob ingratum animum, quòd Polocia capta, liberalissimè à te dimissi, in eam arcem se receperant, ac pertinacissimè exercitui nostro restiterant, occidisti, partim captiuos abduxisti. Qua vrbe euersa, & munitionibus nouis ex tempore erectis, præsidioq́; firmo munitis, ad alias vrbes, arcesq́; tum ipse exercitum duxisti, tum Ioannem Zamoscum, virum prudentissimum, cui imperij gubernacula commiseras, ad interiora eius regionis misisti: ac eius strenua opera, validissima propugnacula, arcesq́; & natura locorum, & arte Moschouia munita, ac ex omni parte obfirmata, cepisti. Quam constantiam, et in gerendo bello dexteritatem, cùm Moschus, qui nostra arma semper contemnere soleret, M. vestræ videret; ad pacem petendam, non nihil animum flexerat: iudicabat enim sibi non cum illis, qui tertio mense

Zamojscius.

copijs

copijs dimißis, domum reuolabant, rem esse; verùm cum eo Rege, & eo Imperatore, qui nullam vim extimesceret: qui iniurias, & cœli, & locorum contemneret: qui totos & integros annos, in bello persisteret, respirandiq́; sibi tempus non daret, & continuò omnia igni, & ferro, peruastaret. Verùm enimuerò, cùm conditiones pacis iustas, aut dare, aut accipere pro sua illa barbara arrogantia nolet, priorq́; ad pacem petendam legatos mittere recusaret; M. vestra, imperato plurium annorum tributo, cum tantis copijs, & tanta vi, in eius regionem redijt, ac caput regni sui Plescouiam obsedit, muros eius quatere non destitit, ac magna parte eorum machinis deiecta, irruptionem in eam vrbem tentauit, ac omnia pauore repleuit. Quod Moschus cùm videret, variè affici, & animum iam huc, iam illuc flectere cœpit: maximè, cùm non solùm Plescouia oppugnaretur; sed etiam per totam suam regionem, milites omnia ferro & igni peruastarent: ipsiq́; Moschouiæ vrbi, quæ sedes eius tyranni est, imminerent: vnde ille, cùm ignes suis vicis, & municipijs iniectos, non sine terrore & lachrimis hauriret; opes suas in eas munitiones, quæ Candida palude, vt illi vocant, circumluuntur, doportari curabat; mox ipse eodem fugam arrepturus, ac se in paludes illas, ranæ instar, coniecturus. Interim tamen consilia meliora cepit, pacem petere instituit, ac quas M. vestra conditiones ferret, recipere constituit, totaq́; prouincia Liuonia decedere decreuit. Ad quæ consilia, vt descenderet, pertinax studium M. vestræ obsidionis continuandæ, ac in

vand instar in Paludes.

13

castris hybernandi, eum impulit. Nam cùm ille æstate exacta, hybernis tempestatibus, ac immenso illo frigore, quod in illis deseuiat locis, & non humana modò corpora, sed et beluarum etiam perurat, deseuientibus, M. vestram necessariò in hyberna exercitum abducturam, obsidionemq́; vrbis illius soluturam putaret: neq; enim vnquam in animum inducere potuit, M. vestram hyemis asperitatem, niuiumq́; illam altitudinem, quæ omnia obrueret, tolleraturam: ac non modo cum hoste armis, verùm etiam cum hyeme, imbribus, niuibusq́; aßiduis ac frigoribus, omnia vrentibus, & vix intra tecta tollerandis, sub papilione depugnaturam, maturiusq́; ex illis locis excesuram: & quod armis efficere ipse non poßet; temporum incommoda, et iniuriam cœli efficere facilè poße arbitrabatur; vt interim vrbem ad futuram obsidionem omni genere commeatus atq; armorum communiret, præsidia submitteret, vt frustra deinceps oppugnaretur. At cum vidißet nouum genus obsidionis continuandæ M. vestram instituere, pro papilionibus solida tecta, domosq́; multorum capaces militum erigere, ac in castris vrbem locare, incommodis hybernis occurrere, & quasi arma aduersus hyemem, niuiumq́; & imbrium incommoda, frigorisq́; violentiam, tecta ipsa instruere; obstupuit: nec amplius de pace petenda, Liuoniaq́;, quæ belli suscepti causa esset, dimittenda, terguiersandum esse statuit; Legatos ad M. vestram mittit: conditiones pacis non tàm fert, quàm accipit: ac deinceps omni genere officiorum, & humanitatis potiùs, quàm armis, cum M. vestra

stra

stru certare decreuit: vt quoniam armis imparem se esse M. vestræ agnosceret; officijs amicitiæ, & omni genere obseruantiæ, erga M. vestram, si non superior, par tamen reperiretur, nec se in eo genere vinci pateretur. Multum enim princeps ille, tui animi robur, & constantiam, in semel suscepto bello continuando, & prudentiam in gerendo, admiratus est. Et quanquam tyranni virtutem oderint; ipse tamen seipsum hîc vicit: ac vt tuas tam insignes virtutes, omni genere obseruantiæ et honoris colat, amet, & obseruet, sibi persuasit. Itaq; de M. vestra semper honorificentissimè & sentit, & apud omnes homines, loquitur. Tui ingenij vires, in rebus agendis prudentiam, felicitatem, ac dexteritatem, summis laudibus extollit. Cuius animi eius, cùm plurima & certissima argumenta passim se offerant, tùm verò legationes, & M. V. ad eum, et illius ad M. vestram; quæ non nisi animum eius M. vestræ studiosum & obseruantem monstrant. Vicisti igitur Serenissime Rex, armis bellum, humanitate tyrannidem, constantia temeritatem, ciuilitate barbariem: & hostem, amicum tui obseruantem, reddidisti: omniumq́; principum animos, in te conuertisti: opinionem eorum de te immutasti, ac vt te, & regno, & imperio amplissimo, suaq́; amicitia & obseruantia dignum iudicent, effecisti: & quæ subsidia, studia literarum, artiumq́; liberalium, quas fideliter didicisti, ad res magnas patrandas, bella difficilia gerenda, pace & iustitia inter ciues conseruanda, afferant; tuo vnius exemplo clarissimè docuisti: Barbaras voces, lite-

rarum studia damnantes, refutasti: nostros animos, quibus res literaria credita est, erexisti, ac calcar iuuentuti, studia amplectenti, & vltrò currenti, admouisti. Vident enim, quæ præsidia Philosophiæ, & puræ eruditionis, in omni genere rerum gerendarum, sint: vident absque eis nihil commodè, & institui, & agi, & ad finem optatum perduci posse: vident rerum rudes animos, omnia quæ agant, temerè, & aggredi, & agere, & temerè cœpta, temerè deserere, nusquam constanter consistere; & quæ audacter orsi fuerint; aut timidè persequi, aut inconsultè relinquere. Quorum ineptis sententijs, artium bonarum importuna reprehensione, repudiatis, ad M. vestræ exemplum, tota se componit, ac deinceps componet, barbara, rudisq; rerum gestarum esse nolet. Magnum igitur nobis fructum tua victoria peperisti: hostem compreßisti: amissa maiorum negligentia recuperasti: opiniones barbaras, & studijs literarum inimicas, euertisti; ac nouas opiniones in animos tuorum infudisti: inimicis terrorem iniecisti: omnium animos in te vertisti: ac regnum diuino munere tibi datum confirmasti: nosq; tutos, ac securos à barbarorum rapinis reddidisti: religionem abiectam erigis: Christum in suam possessionem reducis, iura, legesq;, æquißimis sententijs tuis confirmas, & alia plurima ornamenta nobis, regnoq; attulisti. Quibus enumerandis nunc prætermißis, & iusto volumini reseruatis, eò, vnde digreßus sum, & vnde orationis huius initium sumpsi, redeo, atq; dico: Benedictus Deus noster, benedictum nomen eius. Primùm, qui te talem regem nobis

dedit:

dedit: deinde, qui post multa pericula, è bello diuturno & graui, non incolumem modò, verùm etiam, tot, & tantis victorijs potitum, fortunis & prouincijs auctum, gloria insigni, & æternum celebranda, rebus maximis gestis parta, decoratum, in regnum primùm, deinde in hanc ciuitatem M. vestræ sedem, & literarum nutricem, triumphantem deduxit: ac in tanta luce hominum virtutes tuas, trophæa tua, & triumphos tuos, omnibus spectandos proposuit. Benedictus Deus sit, qui te puerum suum, vt aquila pullos suos in alis suis portat, neminem inimicorum regnumq; tibi nocere permittit: qui non modò regio honore te ornauit, inter principes terræ locauit, ad amplissimos honoris, & imperij gradus extulit; sed etiam de hoste superbo, & cuius arma orbis terrarum pertimuerat, cuius nomen, potentia, opes, admirationi in omnibus regnis erant, victoriam insignem dedit: regnum tuum firmauit: tot, tantisq; virtutibus pectus tuum exornauit, ac tanquam alterum Dauid religionis erigendæ, iustitiæ conseruandæ, pacis, pietatisque firmandæ, ministrum elegerit: & eum principem esse voluerit, cui, cum dilectissimo suo rege Dauid, ijs benedicat verbis: Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea: Inueni Stephanum seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum; manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum: nihil proficiet inimicus in eo; & filius iniquitatis non apponet nocere ei: & concidā à facie ipsius inimicos eius: & odientes eum, in fugam cōuertam: & veritas mea, & misericordia mea, cum ipso:

17

& in nomine meo exaltabitur cornu eius: & ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius: ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ: & ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ: in æternum seruabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi: & ponam in seculũ seculi sedem eius, & thronum eius, sicut dies cœli. Quod totum vt fiat, & M. V. perpetuum sit, eum ipsum Deum patrem, per filium eius vnigenitum dominum nostrum Iesum Christum, rogamus: ac nos, vna cum re literaria nostra, patrocinio M. vestræ committimus.

D. IACO-

ORATIO II.

D. IACOBI GORSCII EODEM TEMPORE QVO SVPERIOR, scripta,

ETSI SEMPER DEVS OPT: Max: benignitatem ſuam, erga hoc Regnum, rémque publicam hanc noſtram, Sacra R. M. Domine, Domine clementiſsime, multis & certiſsimis argumentis declaret; nunquam tamen illuſtriùs, hanc bonitatem ſuam, curamq́; noſtri ſingularem demonſtrauit; quàm tùm, cùm ſereniſsimam M. veſtram, amotis cæteris principibus, ſumma contentione gubernacula, huius noſtræ nauis, in qua iam dudum periclitamur, appetentibus, talem tantúmque virum, regem nobis dederit: cuius prudentiam omnes mirarentur: iuſtitiam, pietatemq́; venerarentur: autoritatem reuererentur: dexteritatem rerum gerendarum admirarentur, legum ſtabiliendarum, pacis conſtituendæ, ac totius regni huius, vitijs noſtris, audacia noſtra, et impietate hæreticorum deformati, ac planè diſſoluti, ſtudium reformandi, & concordia ordinum roborandi, exoſcularentur: quem hoſtes timerent: cuius amicitiam vicini omnes expeterent: cuius res geſtas, & robur animi inuictum laudarent, & in cuius præſidio, incolumitas noſtra, et Rei-

publi: totius, ac religionis Catholicæ salus acquiesceret: in eoq́; tota vt in firmissima basi collocata, nullas tempestates extimesceret, omnia pericula contemneret. Quæ equidem nisi hoc firmamento M. vestræ niteretur, nunc consistere nulla ratione, nec in suo statu permanere posset: tota, vel libidini ciuium improborum, vel prædæ hostium, impunè in nos grassantium, exposita esset, nihilq́; præter ruinam impendentem, prospectaret. Quod malum, Deus, vt pro sua illa in omnes immensa bonitate & misericordia à nobis auerteret; S. M. vestram, tot, tantisq́; virtutibus virum ornatum, principemq́; inuictum, regem nobis, nihil tale merentibus, ne dicā reluctantibus & inuitis, dedit: et tanquā gregi diserto, rabiæq́; luporum, cùm externorum, tùm domesticorum conuulnerato, pastorem, nostrorumq́; vulnerum medicum prudentissimum imposuit. Quod nisi factum fuisset, nisi nos pereuntes diuina bonitas respexisset; nullam omninò salutem iam sperare nobis licuisset. Tanta enim maiorum nostrorum hominum publicæ pacis ac religionis orthodoxæ obseruantissimorum, disciplinæ dissolutio facta, tanta quiduis audendi potestas nata, tanta incrementa, progressusq́; impietas fecit; vt nulla vi Respub. hæc nostra, tanta facinora sustinere valeat: nulla ratione ita firmari posit; quin mole tanta scelerum præssa, præceps tota feratur, nihilq́; aliud præter ruinam nobis ostentet, iramq́; Dei nobis, & supplicia merita denunciet. Tot hæreses in hoc regno exarserunt, quot ab initio mundi, hostis ille acerbus Ecclesiæ Christi, proseminauit. Quicquid impietatis

toto

toto orbe terrarũ exoritur; in hoc Regnum tanquã in sentinam defluit. Non securi modò sunt inter nos, qui è toto Christiano orbe profligati, nomen Dei blasphemant, qui filium Dei seruatorem nostrum contumelia afficiunt, furoremq́; diuinum in nos concitant; verùm etiam muneribus ornantur, præmia sceleris amplißima refferunt, omniq́; honore impietas eorum exornatur; ita, qui in extremas insulas & orbis terræ desertas regiones putidæ naui impositi deportari merentur, principem locum inter nos & fortunarum, & honorum tenent, nobisq́; apertè vt victores insultant, captiuos, & nodis impiæ suæ doctrinæ constrictos ad triumphum Sathanæ tradunt: ô miserum regnum! ô perditam securitatem nostram, & infamiæ nostræ, & iræ Dei, ruinæq́; nostræ impendentis, calamitatem! quam non solùm non fugere; verùm etiam vltro accensere nostris dissensionibus acceleramus. Quid comitia nostra? quid contentiones nostræ? quid legum omnisq́; iuris, & humani, & diuini contemptus? quid legitimi magistratus despectio sibi velit? quid aliud agunt, quàm vt maturiùs cum tota Repub. pereamus? Cui morbo nostro, nisi M. vestra medicas manus admoueat, insaniam nostram & desæuientis morbi tantam materiam è corpore Reipub. amoueat, & ex visceribus nostris extrahat; nulla spes deinceps salutis nostræ se offerre nobis poterit; nequicquã aliorũ opem implorabimus: sola M. vestræ prudentia ista diuina animusq́; hic inuictus, & nostra, & totius Regni incolumitas est, ac medicina morbi nostri præsens: tuæ M. nostra vulnera, à Deo

impii putidæ naui imponendi.

Patre misericordiarũ sananda, & legibus pietatis alliganda, commissa sunt. Cuiusquidem salutis, incolumitatisq; nostræ, iam (quod felix, faustumq;, & Sacræ M. vestræ, & nobis omnibus, & Regno vniuerso sit) egregia, & nulla vi ventura submouenda fundamenta, non multis ijs à suscepto Regno annis posuit: primúmq; socijs ciuitatibus, parere M. vestræ nolentibus, & iudicium Dei ipsius, & Regni totius consensum de M. vestra negligentibus, ad officiũ reuocatis; deinde hoste superbo, et tot tantisq; successibus feroci, armis fracto, prouincijs iam olim amissis recuperatis; Liuonia Regno adiuncta; tot munitionibus hostilibus, vel captis, vel euersis, vel in ditionem acceptis; tota penè Moscouia ferro, & igni vastata; Plescouia constantissimè oppugnata, & magna ex parte propugnaculis nudata, hosteq; ad pacem petendam coacto: quid deinceps expectare debeamus; M. vestra demonstrauit. Securi in omnes partes à vicinis sumus: nemo est, qui contra M. vestram temerè arma sumat; qui non M. vestram, aut non veneretur, aut non metuat. Tartari intra fines suos, fama rerum à M. vestra gestarum, & armorũ splendore conterriti se continent: & prædandi illam effusam licentiam in Regno nostro sibi ereptam, vehementer dolent: vt nihil inde iam periculi metuamus: nullas tempestates ab oriente sole expectemus: lucem pacis inde oculis nostris vltrò se inferentis hauriamus. Quòd nisi domestica & intestina mala nos perurgerent, nisi interna vis, cædes, rapinæ, omnia peruastarent, nisi religio, Christiq; gloria, tantùm periclitaretur, nisi iustitia tam

acerbè

Moscouia
Plescouia

23

acerbè premeretur, nisi audacia, impietas religionis, & Dei contemptus, crudelissimè, & ita impunè in viscera Reipu: desæuiret, si suũ quisq; ius teneret; magnũ bonũ, nõ pœnitendã felicitatẽ hanc nostrã iudicaremus: nihil planè nobis ad benè beateq; viuendum M. vestra regnante deesse gauderemus, ac summam voluptatem, maximósque fructus inde caperemus. Sed planè nobis id accidit, quod diuitibus ægrotis solet, qui cùm omnium rerum & fortunarum copia abundent, nullo incommodo externo premantur, morbo tamen interno, et intra sua viscera vigente vrgentur, ac externæ illius beatitudinis fructus nullos percipiunt; ita enim & nos cõmodis his & fructibus, quos vbertas diuinæ virtutis tuæ profundit, vix vllo modò frui possumus. Adimit nobis omnem eam voluptatẽ, omnia illa commoda, morbus intra viscera Regni desæuiens. Non possessiones modò, non fortunæ tantùm, non hæreditates nostræ, à maioribus relictæ, ad hæc vsq; tempora propagatæ, priuilegijs communitæ, dilacerantur, rapiuntur, vexantur, & tantùm non igni, ferroq;, quo vno, mala nostra ab hostili crudelitate differunt, peruastantur; sed etiam libertas nostra, existimatio nostra, ne dicam vita etiam ipsa nostra, in periculum eorum temeritate vocatur. Nemo est, qui, quod habet, se habere existimet: qui se vsquam securũ esse putet; præter istos, qui omnia miscent: quibus omnia impunè licent: quorum furori, ac libidini, omnia nostra, fortunæ nostræ, possessiones nostræ, vita deniq; nostra exposita est: qui nullis legibus parent, nullum legitimum Magistrum agnoscunt: qui

omnia

omnia diuina, ac humana, pro libidine vexant ac miſcent: qui religionem Catholicam explodunt, noua & impietatis plena dogmata inferunt, Sacramenta calcant, cærimonias ſanctißimas irrident, Deo ipſi & Chriſto ſeruatori noſtro inſultant, & omnis impietatis propagatores, patroniq́; ſunt: qui inter ordines diſcordias ſerunt, leges impias, & iuſtitiæ, iurisq́;, & diuini, & humani peſtem conſcribunt: fœderibus ſuis in perniciem, non modò Eccleſiæ Catholicæ, verùm etiam totius huius Regni, & ſuam ipſorum, ſe armant: qui ſacro ordine in ordinem redacto, bonis Eccleſiæ direptis, pontificia autoritate conculcata, iuriſdictione, & omni autoritate principibus Eccleſiæ exſpoliatis, ſenatu toto contempto, & ſua dignitate, autoritatéque nudato, in M. veſtram furentes impetum faciunt, ac planè in ordinem eam cogunt: imperium, quod ſemper ſanctum, & inuiolatum ſtetit, M. veſtræ adimunt: manibus tuis iſtis inuictis, quarum vim hoſtis potentißimus ſuſtinere nequeat, Catena confœderat. *manicas & cathenas ſuarum confœderationum iniÿcere contendunt: iuris dicundi, ſceleratos puniendi, diſciplinæ maiorum reuocandæ, religionis auitæ ſtabiliendæ, pacis, tranquillitatis, & iuſtitiæ tuendæ, omnem poteſtatem eripiunt: bonis conſilÿs aduerſantur, ac vt furioſi in M. veſtram debachantur: nihilq́; aliud cogitant, nihil agunt; quàm vt perturbatis ordinibus, & autoritate ſenatus conculcata, Eccleſia euerſa, & omnibus ſuæ libidini ſubiectis, M. Regiam impunè & ſecuriùs aggrediantur, oppugnent,* Anarchia. *& euertant: imperium ipſum ad ſe traducant: Anarchiamq́; in-*

amq́; inducat: totúmq; regnum pro libidine sua primùm diuexent, eneruent, omni dignitate & opibus exspolient, deinde penitùs euertant, memoriámq; nominis gentisq; Polonorum aboleant. Neq; enim credibile est, in tanta, tamq́; effusa improborum hominum audacia euersis legibus, exspoliato sua dignitate & autoritate toto senatu, religionis metu excusso, Regia M. labefactata, omnium scelerum, rapinarum, cædium, stuprorum, impietatis ac libidinum impunitate data, & præmijs tantæ temeritati & audaciæ amplißimis expositis, bonis oppreßis, iustitia & legibus euersis; Rempub. stare diutiùs poße. Nam quod furibunda ista audacia putat, suis perditis istis consilijs firmari eam, & libertatem illam, quam plenis buccis, & furorem exspumantibus concrepat, retineri poße arbitratur; multùm fallitur: & hosti iter ad occupanda omnia parat, & præmolitur. Tyranni cuiusspiam, isti libertatis nostræ propugnatores, ministri & satellites sunt; quorum labor est vnicus; vt Republ. perturbata, Senatu exautorato, M. vestra exarmata, & suæ libidini subiecta, toto Regno, omni præsidio, & consiliorum rectorum, & armorum exspoliato, impietate conuulnerato, cathenas furoris sui inijciant, ac vinctū libidine sua, Tyranno, ceruicibus nostris iam dudum minanti, tradant, memoriamq́; omnem gentis suæ aboleant, & pro Christo Machometum recipiant; filium Dei à Patre auulsum cœlo expellant, legesq́; Deo Patri ferant, ne vnquam filium suum vnigenitum parem sibi agnoscat, vt infra creatas res eum locet, omniq; pietati, castitati, iusti-

exspumare

tiæ, omni illo cœtu ſanctorum è ſuo Regno exturbato, cœlum claudat, ſuamq́; impietatem, ſuas cædes, ſua ſcelera, ſtupra, peccandi impunitatem pro illis adoptet, regnaq́; ſua illa ampliſsima, & beatiſsima furori eorum ſubijciat: vt eo ipſo Deo ſuis dolis, ſuæ impiæ doctrinæ cathenis alligato, cum principe ſuo Diabolo, in aula cœleſti ſe iactent, ac licenter in omnem pietatem debacchentur. Hi ſunt Sereniſsime Rex, iſtorum conatus, hæc conſilia: quibus niſi Sacra M. veſtra maturiùs occurrat, nihil eſt, quod ruinam noſtram ſuſtineat. Inteſtino tanto malo occurrendũ, morbusq́; viſcera Regni exurens, à corpore noſtro depellendus. Nihil illa externa cõmoda, nihil de hoſte extra Regni fines ſæuiente, victoria nobis profuerit; ſi domi virtutis, iuſtitiæ, religionis Catholicæ, & omnis pietatis probitatisq́; hoſtes, in nos deſæuient; ac omnem iuſtitiam, non modò humanam, verùm etiam diuinam euertant; cædes impunitas, ſtupra, adulteria, rapinas patrent; leges, pacis vincula, contemnant; ſeditionum inſtrumenta confœderationes conficiant; ſenatum deſpiciant; religione, & Catholica Eccleſia euerſa, in ipſam Regiam M. qua ſalus Regni continetur, impetum faciant; in ordinem M. veſtram redigant; metum omnem abijciant; quicquid libuerit patrent; nulla religione Dei, nulla reuerentia M. Regiæ teneantur, ac Eccleſiam Catholicam, Sathanæ ſynagogam, & meretricem omnium libidinum, carnificemq́; & omnis cædis & ſanguinis miniſtram reddant; ac Regnum hoc ampliſsimum, à maioribus noſtris viris pientiſsimis, & æquitatis, pacisq́; obſer-

uantiſsimis

uantissimis, virtute conditum, opibus auctum, iustitia & legibus confirmatum, pietate roboratum, à M. vestra victorijs celeberrimis, rebusq; pro salute nostra egregiè gestis decoratum, cætum latronum à se redditum, prorsus euertant. Quorum audaciæ, impudentiæ, temeritati, & tantæ impietati, si M. vestra maturiùs occurrat, si temporiùs periclitanti Reipub. subueniat; iustitiam, religionem auitam, pacemq; nobis restituat, & nostras fortunas, libertatem nostram, vitam deniq; nostram conseruabit: Regnum ab interitu impendenti liberabit: suam autoritatem & M. asseret, ac omnibus tempestatibus depulsis, feliciter ac æternum celebranda gloria regnabit. Nam vt nunc sunt res nostræ, vt hominum nonnullorum audacia & temeritas; nulla cum dignitate in tam excelso solio sederis: nunquam dignitatem M. & imperij retinueris: nullum honorem, tot tantæq; virtutes tuæ, sapientia ista diuina tua, tanta in rebus aggrediendis animi fortitudo, tanta in agendo dexteritas, in perseuerando constantia, in laboribus perseuerantia, molestijs exhauriendis patientia, tibi parere poterit: inglorius, & improbitati obnoxius istorum vitam agas, necesse fuerit. Quæ voces istorum aduersus M. vestram exauditæ proximis comitijs, qui impetus in leges, in religionem Catholicam, in te deniq; ipsum Regem fieret, M. vestra cognouit. Non isti Regem te Serenissime princeps esse suū statuunt, non tuo sapientissimo, æquissimo, & sanctissimo imperio subijci volunt; sed vt autoritate M. vestræ, vel potiùs regio nomine, quod solum M. vestræ relinquere co-

 nantur,

nantur, ad libidines suas abutantur, quod certè consilium suum, & conatus istos improbos suos voces illorum prodiderunt, cùm dicerent: Eò Rege nobis opus fuerit, cui nos, non verò ille nobis, imperemus: quod est dicere, cuius nomine ad libidines abutamur: qui cupiditatibus nostris seruiat: quem quo velimus impellamus: vnde velimus abducamus: quem quando velimus Regno amoueamus: cum quo liberè agamus, ac ei si quidpiam iustè & legitimè decernat, obsistamus, & absq; vllo metu, pudoreq́; nostro dicamus: At qui nos tua decreta non recipimus, &, nisi quod libidini nostræ adlubeat, decernas, statuas, atq; mandes, non parebimus: nostrum est imperium, nostra gubernacula: quidquid lubet, licet nobis; quæ vera nobilitatis libertas est: neque volumus, vt nomine tuo Regio rei citentur, tuáue autoritate ad comparendum apud iudices cogantur, aut ad causam dicendam euocentur: nos mandabimus, euocabimus, ac de toto illorũ negotio, quod nobis libuerit, non quod leges tuæ istæ velint decernemus: satis est quod tuum istud regium nomen vsurpabimus, ita scribentes, & dicas conficientes, regnante Stephano, nos Proceres mandamus. Quæ vox istorũ, quàm impudens, quàm scelerata, quàm in M.V. contumeliosa; nihil dico. Non regem hoc est esse, nõ imperiũ gerere, nõ regnare, sed perpetua ignominia ac dedecus, quod nulli ingenuo ferendum est, et honor, contumeliosus potiùs, quàm honorificus. Nihil isti pro sua nõ ferenda impudentia M. V. præter Regni nomen relinquunt: omnem potestatem, omnia iura, & legum decreta, omnia iudicia, ad suam libidinem

libidinem trahunt : hoc enim vnum agunt, vt M. veſtra, verbo magis, quàm re ipſa imperium tenente, impunè omnia, & humana, & diuina iura calcent, iuſtitiam & pietatem profligent, Senatum euertant, libidini ſuæ effrenatæ inſeruiant, ac tuum nomen perpetuo dedecore afficiant, ſeruitutisq; nouæ & inauditæ regibus & principibus notam inurant : nec diſsimile regnum tuum eſſe volunt, quàm illorum fuerit, quorum regna in tragædijs referuntur, qui nihil præter perſonã principis præſeferunt : quorum vt diximus, ſi maturiùs audaciæ occurras, ſi regni habenas arctiùs attrahas, poteſtate tua legitima & Rege Stephano digna contra iſtorum furorem vtaris, in ordinem effrenatam eorum audaciam redegeris, frenos tantæ licentiæ & impudentiæ inieceris, ad officium debitum, legum obſeruantiam, pacis & concordiæ inter ordines conſeruandæ, ſtudium adduxeris, religionem Catholicam, ſceleratis artibus eorũ, et impietate oppreſſã, erexeris, Eccleſiã Catholicam libertati ſuæ, fortunis ſuis, et dignitati ſuæ, reſtitueris, ac ſathanæ viribus euerſum regnũ Chriſto Domi: reddideris; et regnũ tuũ firmabis, et tũ demũ victor eris, verosq; & æternos, victa iſtorũ improbitate, triumphos ages, tutus, ac Deo dilectus, vt ille Sanctiſsimus vir Dauid, regnabis, tuæq; diuinæ virtutis, iuſtitiæ & veræ pietatis coronas, à Deo omnium bonorum remuneratore recipies, regiumq; hoc decus, tibi diuinitùs oblatum, nulla reprehenſionis labe notatum æternitati tranſmittes. Quorum omnium, vt curam ſuſcipias, ac nos noſtramq; hanc Eccleſiam, in qua corona

decoris ornatus fueris, imperij gubernacula apprehenderis, poßeßionem regni adieris, tua Regia M. complecti & tueri digneris, maiorem in modum rogamus, ac pedibus tuis Regijs ad uoluti supplices petimus.

D. IACO-

ORATIO III.

D. IACOBI GORSCII

PRO VICTORIA REGIS STEPHANI EX MOSCHO PARTA.

SI, QVANTVM IN PERICVLO ET tempestate belli, aliarumq; calamitatum homines trepident, opem & auxilia Dei, diuorumq; omnium implorent, tantùm victoria de hoste parta, tempestate, & fluctibus periculorum sedatis, soleq; tranquillitatis reducto grati, & diuinæ bonitatis, cuius ope & misericordia, quam in discrimine, & imminentis interitus metu positi implorassent, memores esse velint; non minore equidem contentione, non remissiore studio ad supplicandum, gratiasq; publicè agendas Deo, salutis suæ & Reip: incolumitatis autori, concurrerent; non minùs ardenti animo altaribus admoti, diuinas laudes canerent, bonitatē eius, amorem eius erga se & auxilium præsens celebrarent, passimq; voce sublata prædicarent; quam tùm, cùm in periculo essent supplicare, ad arasq, flentes hærere solerent. Sed quoniam metus et præsens periculum vehementiùs oculos nostros vrit, quàm pax reddita delectat; in illo vehementes & solliciti, in hoc remissi & negligentes sumus. Quod equidem ita esse, & gentium, & populi Dei exempla plurima docent.

Ingresso

Ingreſſo cum exercitu in Italiam Duce Pœnorum Anni-
bale, omniaq́; igni & ferro peruaſtante, tot exercitibus, tot
imperatoribus Romanis cæſis, armis hoſtilibus vrbe cincta,
quid populus Romanus terrore illo excitus non fecit?
quæ præſidia non quæſiuit? Dies & noctes lachrymis pro-
fuſis, manibus in cœlum extenſis, voceq́; elata, Deorum
præſidia ac opem implorabant: ſupplices cum vxoribus &
liberis ad aras Deorum hærebant: ac ſe, vrbem, Italiamq́;
tanto diſcrimine & bello liberari precabantur: & eo nomi-
ne vota aſſiduè faciebant. Digreſſo ex Italia Annibale,
& quiete Italiæ reddita; nemo inueniebatur ex ijs, qui
gratias Dijs, aut priuatim, aut publicè agendas moneret.
Adeò, inquit Titus Liuius, homines ſunt bonorum negli-
gentes; vt ne aduenientem gratiam benigni accipiant, ne-
dum vt præteritæ ſatis memores ſint, qui erant in metu ſup-
plices, qui vndiq; præſidia quærerent, periculo liberati,
Deorum ſuorum obliti. Populus ille Dei, qui Iſraël dice-
batur, gens electa Dei, ſemen ipſius Abrahæ, imminente à
tergo hoſte, cædemq́; atrociſſimam ſpirante, à fronte verò
mari Erithræo, progreſſũ, fugamq́; prohibente, terrore im-
pendentis vndiq; interitus diſſolutus, ac luctu perditus, cùm,
quò ſe verteret, non haberet, ad Deum Patrum ſuorum
conuerſus, manus vocemq́; tendens, lachrymas profundens,
bonitatem eius ac potentiam infinitam, qua patres ſuos te-
xerit, è multisq́; & varijs periculis & diſcrimine liberaue-
rit, neminem illis nocere permiſerit, & tanquam pullos ſu-
os aquila in alis ſuis portauerit, magno cum gemitu implo-
rabat:

rabat: neminem enim è tanto discrimine se posse eripere videbat, præter ipsum, qui cœlum, terramq́; condidisset Deum: cui tamen liberati, & illo, quod ab Rege Ægyptio præsens instaret eis, vitæ discrimine erepti, mariq́; ipso cedente, & transitum aperiente, in tutum deducti, non solùm nō reddiderunt debitum honorem, verùm vt ingrati, & beneficij in oculis omnium hærentis immemores, ad idola versi, Deum seruatorem suum reliquerunt, & ad iram prouocauerunt; vt planè se ingratissimos, tot tantorúmque beneficiorum Dei demonstrarent. Ita qui metu venientis mali excitati, in sinum Dei confugerent, in eiusq́; præsidio acquiescerent, securitati redditi, ingratissimi in eum fuerunt, neque debitum honorem gratijs ei agendis reddere curarunt; propterea quòd acriùs mala, quàm bona homines sentiant. Quibus ne nos etiam similes esse videamur, cum Moyse, & sorore sua Maria sumpto Psalterio, & orationis Cithara, bello grauissimo liberati, hoste ad pacem petendam armis et insigni virtute Serenissimi Regis Stephani coacto, Domino Deo gratias agentes cantemus. Benignè enim nobiscum egit, gloriosam victoriam de hoste sæuissimo, potentissimo, & superbo largitus est. Cantemus igitur domino: celebremus nomen eius, misericordiam eius, & benignitatem sublimiùs & prolixiùs enarremus. Resonet vox nostra, laudes Dei celebrans, in hoc augusto templo, in quod cœtum vestrum, & vniuersum studiosorū nostrorum conuentum, ob eam causam aduocauimus: neque enim nos similes esse decet istis, qui diuina beneficia vltrò etiam oblata, vel ingra-

tissimis animis, accipiunt, vel etiam contemnunt, ac clarissimorum hominum egregiè res gestas, calumniantur: gratos nos esse benignitatis tantæ Dei, qui hostem superbum ita conterruit, ita animos eius tumentes fregit; vt ne conspectum quidem Serenissimi Regis & exercitus nostri sustinere potuerit, & desertis militibus & munitionibus suis, in latebras paludesq́; inaccessas, animum illum fractum totum intulit, nihilq́; præter fugam cogitauit, demonstremus. Cantemus igitur Domino: & inuicto Regi nostro, honorem eũ, quem sua virtus, & in eo bello gerendo, & tota Republica gubernanda, fortunis nostris, religione auita, vita denique nostra conseruanda, meretur, præstemus. Imitemur populum illum Dei, qui Sauli victori occurrit, Dominum victoriæ largitorem, gratiis ei agendis, & bonitate sua potentiaq́; eius immensa celebranda, honorauit: & non solùm Saulum regem victoriæ ducem; sed et pastorem abiectum, ob Goliatum monstrosum illum Palestinorum centurionem singulari certamine victum, Dauidem, debito honore ornauit. Non ignoratis, quæ illius populi vox fuerit, quos hymnos cantauerit, quibus encomijs & Saulum, qui vicisse mille, & Dauidem, qui decem millia profligasse hostium dicebatur, celebrauerit. Celebremus igitur & nos bonitatem Dei, & potentiam eius: celebremus Regis nostri in suscipiendis bellis prudentiam, in gerendis constantiam, in aggrediendo hoste animum fortem, in victis tractandis clementiam, in victoria mansuetudinem. Nouæ victoriæ, insperatæ pacis, nuncium accepimus: præter omnium nostrum

opinionem

opinionem, præter expectationem, pacis leges hosti superbo dedimus: præter spem Liuoniam vniuersam, quam etsi armis munitam, copiisq́; instructam hostis teneret, recepimus. Noua lux nobis affulsit. Non solùm amissa recuperauimus; verùm enimuerò eam prouinciam, quæ toti regno vim semper aut inferret, aut minaretur, in potestatem nostram redegimus, & regni nostri æmulam, Reipublicæ nostræ partem fecimus, præsidia illi imposuimus: religionem illam Catholicam, cuius tuendæ causa, & ab idololatrice olim Lituania propugnandæ, milites celeberrimos, armorumq́; peritia, & pietatis studio, quondam commendatos, in eam prouinciam induxeramus, eorum ipsorum, qui propugnatores esse debebant, improbitate, et perfidia pulsam, reuocamus, ac suis sedibus pientissimi Regis nostri Stephani, cura, labore, & summa contentione locamus: Christoq́; ipsi suam possessionem, in qua se hæreticorum doctrina recens iactabat, reddimus. Quo nomine gratias Deo patri misericordiarum acturi conuenimus. Exurgat igitur inter nos psalterium illud decem chordarum Dauid, quo ille & Dei laudes, & populi sui victorias, vario genere symphoniæ & carminis descriptas, canere non cessabat. Exurgat nunc eius hæc diuina cithara: exurgat omnis symphonia eius, & victoriam Serenissimi Regis nostri Stephani, vnà cum misericordia & beneficio immenso Dei patris, & Filij eius Christi Iesu, in hoc cœtu vestro personet. Quid verò cantabimus? Cantate, inquit Dauid, Domino canticum nouum: cantate & psallite nomini eius. Quamobrem ô diuine Rex cantemus? quamobrē

psallamus? Quia res, inquit magnas, & admiratione dignas gessit: quoniam sua dextera, sua virtute, & brachio potentiæ suæ, & Regem vestrum cum toto exercitu seruauit, victoriam vobis largitus est, & tyranni vires non solùm minitantis, sed etiam inferentis arma regno fregit, supplicemq; Serenissimo Regi vestro esse compulit, pacem petere, leges datas capere, ereptas regiones regno restituere, coégit. Est sanè quod cantemus, est quod Deo cum Rege Dauid gratias agamus. Noua hæc victoria, non sinit animos nostros torpescere, non sinit nos tacere, qui centum integris annis, non vincere, sed vinci solebamus: noua materia, noua victoria nobis affertur, nouum canticum pro illo veteri, quod totos centum annos, à Wituldi & Wladislai fatis exorsi, cum summo mœrore nostro, & lachrymis nostris, ad hanc vsq; inuictissimi Regis Stephani victoriam cecinimus, aures nostras assiduè personet: quod mentes nostras ad diuinas laudes celebrandas excitet: quod eius misericordiam ante oculos nostros ponat: quod nouam Regis nostri Stephani virtutem, animi fortitudinem, pietatem, pectus inuictum, suaq; in nos ac regnum vniuersum beneficia celebret, ac laude debita exornet. Neq; enim illos imitari nos decet, qui omnia ea, quæ fortissimus, & inuictus Rex noster agit, vel repræhendere, vel eleuare non erubescunt; cùm nisi diuinitùs hic princeps nobis datus fuisset, non victoriam nunc caneremus, non triumphos ageremus; sed vt mancipia in turpissimam Tartari seruitutem abduceremur, sardiq; venales libidini Turcicæ exponeremur.

Ingrati animi est res magnas virtute et sapientia summa gestas calumniari, vel eleuare perditi salutem, vel inuito oblatam repudiare: vtrumq; hoc vicium inquietæ mentis, & Dei beneficiorum ingratæ apertè præsefert argumentũ, ac canticum vetus inuidentiæ plenum canit: nouum, quo gratias Deo, pro tanta sua in nos, & regnum nostrum misericordia, agat, ac virtutem principis optimi, & inuictissimi, exercitusqúe nostri celebret, damnat, & auersatur. Quibus vt hac celebritate nostra indignis omnino repudiatis, cantici vtriusq; nostri rationes explicemus, Wituldo Lituaniæ duce, & Wladislao Jagielone Rege Polonorũ, quorum vterq; imperij sui fines propagarat, ac res magnas tum in Moschouia, tum in Tartaria, tum aduersus Germanos in Prußia, egerat, qui exteris nationibus, ac ipso terrori orbis terrarum Turcarum imperatori, terrorem nominis sui iniecerat, gloriamq; Poloni nominis extulerat, vita functis: ad Casimirum natu minorem filium Wladislai sceptra regni delata. Nam de Wladislao adolescente inuicti animi, quem nobis Vngariæ regnum, maturiùs, quàm nostris rebus vtile eßet, abreptum, Turcarum furori obiecit, nosq; sua illa inuicta animi fortitudine priuauit, nihil dico: non diu hic princeps nostris præfuit rebus: & eo tempore præfuit, quo Moschus post Wituldi victorias caput attollere nondum audebat. A Casimiro igitur, quo regnante Moschus insultare nobis cœpit, exordiar. Nam dum ille in Prussico bello, quod annos tredecim continuos geßit, occupatur, ac ciuitates fœderatas à tyrannide Germanorum cruce si-

gnatorum, qui Mariani milites vocarentur, armis Polonorum liberare contendit, Germanorumq; insolentiæ restitit; Joannes dux Moschorum, excusso iugo Tartarico, & plerisq; ducibus Russiæ suo imperio subiugatis, Nouogrodũ magnum, quæ ciuitas tum duci Lituanorum parebat, & centena milia aureorum annuorum ex fœdere dependebat, magna vi aggressus, vnà cum Russiæ albæ plurimis munitionibus & arcibus, in potestatem suam redegit, ac toti Russiæ atque Lituaniæ imminere cœpit. Cui cùm Lituani bellum inferendum censerent, Casimirus lacessendum bello non putauit, tùm quòd ducem illum ferocem, et bellis gerendis exercitatum, fortunisq; auctum videret, tùm quòd ipse bello Prussico exhaustus esset, & ad alia bella spectaret. Quo successu ille elatus, ad maiora animum adiecit, Alexandro duci Lituanorum magno, genero suo, Seueriensem regionem latissimam & opulentissimam impunè eripuit, ac ita animo elatus fuit, vt vix ab eo impetrari potuerit, vt captiuos redderet. Nec hîc finis est: mox filius eius Basilius fraude Glinscij Ducis, caput eius regionis SMOlenscum arcem occupauit, ac firmissimis præsidijs muniuit, maiora tentaturus, nisi à Diuo Sigismundo, qui mortuo Alexandro regnare tum cœperat, infinitus eius exercitus, quem in ipsam Lituaniam immissurus erat, profligatus fuisset. Tum enim cœpit quietior esse: tum aliquid de sua illa audacia et fastu animi remisit, pacisq; ac fœderum leges acceptas, à Sigismundo ad vitæ exitum seruauit: cuius filius, qui nunc in Moschouia Tyrannidem exercet, Augusto Polociam pri

mùm

mum eripuit, ac mox in Liuoniam, nequicquam ad Augusti præsidia confugientem, ingressus, totam vastauit: arces plurimas vel expugnauit, vel per ditionem accepit, aut desertas præsidijs suis muniuit, pleræq; enim & arces, et vrbes, ab incolis & milite, timore eius exercitus deserebantur. Tantus creuerat, ignauia nostra Moschus, vt ne aspectum quidem eius Germani ferre possent. Ac non solùm Augustum, quem contemnere soleret, lacessere ausus; verùm etiã Henricum Regem, quem tot, tantáq; bella in patria gessisse & confecisse sciebat, nihil metuens, ingressus in Liuoniam, arces Regias occupauit, totiq; Liuoniæ præsidia imposuit, ac incolas, vt alter Nabuchodonosor, ex ea regione abductos, in extrema Moschouiæ transtulit, Tartarorumq; furori exposuit. Et hæc quidem sunt, quæ cum nostro summo dedecore centum integros tulimus annos: hoc canticum eo tempore cantauimus: prima hæc illa nostra elegia erat, quã scriptam sanguine nostrorum, capto Nouogrodo, totq; thesauris inde exportatis, Joannes Moschus nobis cantandam tradidit. Qui tum erat luctus nostrorum, qui terror, qui dolor, tanta, tam nobili, tam fructuosa principibus nostris erepta ciuitate, ac tota planè regione illa, quam albam Russiã dixerunt, vel occupata, vel igni et ferro peruastata? Quid animi tum nostris fuisse putatis, dum ex Russia occupata, Lituaniæ hostis tã acer immineret; cùm signa infesta in cã iam iam inferret, eoq; progressus esset, vt ei Casimirum Germaniæ victorem supplicem esse oportuerit? Qua quidem Elegia à nobis decantata, alia nobis ab eodẽ hoste canenda-

mittitur?

mittitur? Nam occupata Seuerienſi regione, & in vicinia caſtris hoſtium poſitis; non minor luctus, terrorq́;, non Lituaniam ſolam, ſed totum Regnum occupabat. Lituania vaſtata, hoſtis ille, & imperandi, & gloriæ, & auri argentiq́; cupidus, in Poloniam inuaſurus non dubitabatur; præſertim Rußis principibus, vltrò ſe ad eum conferentibus, & ſua dedentibus. Auxit hoc lugubre carmen prodita arx Smolenſco; qua incolumi ſtante, non difficulter recuperari, à ſtrennuo duce Sigiſmundo Seuerienſis regio videbatur. Sed vel tum maximè territi fuimus, cùm ſuſpenſis organis, & armis noſtris ſedentes, non ad flumen, ſed domi ad pocula, captam Polociam audiuimus. Quid enim expectabatur, quàm vt Wilna ipſa caperetur? Hæc erant illa cantica, quæ à Caſimiro ad Stephanum vſq; Regem patriæ noſtræ patrem, cantauimus: nihil toto illo tempore afferebatur, præterquàm tot millia hominū cæſa, tot pueros, puellasq́; ſtupratas, tanta ſæuitia hoſtem in captos vſum, regiones igni et ferro vaſtatas, in miſeram ſeruitutem captiuos abductos. Nam quæ à Tartaris paßi fuerimus, illis regnantibus Regibus, non libet commemorare: teſtis eſt illa Podoliæ camporum vaſtitas: & nos ipſi ante aduentum ad nos Stephani Regis, ita territi fuimus; vt menſas etiam cibis inſtructas deſereremus, ac fuga ſalutem quæreremus. Quot millia hominum tum in Tartariam abducta; quantum tum hoſtis ille, imò latro & prædo nobis inſultauerit; quàm contemptum nomen Polonorum Turcia captiuis noſtris repleta, reddiderit; tacere præſtat, nec cætera volo perſequi, quæ

vobis

vobis perinde ac mihi nota sint. Ad nouum canticum venio: vetus enim hoc centum annorum, animos vestros lugubri suo sono dissoluit, & aures ab audiendo vestras auertit. Vt primùm Serenissimus Rex Stephanus diuinitùs nobis datus, in regnum venit: vt primùm illi clauum nauis nostræ tradidimus: vt primùm sceptra gerere cœpit, Reip: & nostram salutem animo complexus, omnia consilia, curas, & studium suum ad regni propugnacula vertit: præsidia corrogare & rebelles ad officium redigere instituit: Gedanensibus bellum, cum ea copia, quæ vix satis esset Regiæ dignitatis tuendæ, & salutis domi custodiendæ, intulit: & profligatis copijs eorum, ea manu, quam dixi, vrbem eorum obsedit, ac ad officium ciues illos redegit. Hinc nulla interposita mora, opem suam Liuoniensi vni ciuitatibus, quibus tyrannus Moschus immineret, reliquiásque eius regionis occupare contenderet, cum lachrymis implorantibus promisit, ac in eas regiones se contulit, Moscho bellum, repetitis ab eo rebus, intulit: ad Polociam exercitum duxit; ac ita obsessam oppugnauit; vt non multis interpositis hebdomadis in potestatem suam eam redigeret, principes captos abduceret, arces vicinas expugnaret, ac totam eam prouinciam occuparet, regnoq́; restitueret. Quo in loco tanta Regis nostri constantia, tantum animi robur, laborumq́; tolerantia adeò enituit; vt nec hosti, nec iniuriæ cœli, obscœnoq́; solo cesserit: videbatur planè non solùm cũ hoste confligere, verùmetiam cum ipso cœlo, tempestatibus

 assiduis,

aßiduis, ac terræ cæno, bellum gerere: vt interim rerum & victus inopiam prætermittam. Docuit constantißimus princeps, Polonos non eos eße, qui putabantur molles, et laborum non patientes; verùm omnium periculorum contẽptores, inediæ, tempestatum, omniumq́; vel cœli, vel loci iniuriarum patientißimos, et victores. Quod bellum ab infamia illa, quæ, & Polocia capta, & Tartaris Podoliam impunè vastantibus, & tot millia hominum absq; armis et certamine vllo abducentibus, nobis irrogabatur, nos liberauit. Hîc cœpimus nouum cantare canticum: hac victoria audita, animus noster creuit: gratias Deo cum Dauid agere cœpit, & in ea verba prorupit: Cantate Domino canticum nouum: canticum illud nostrum vetus erat luctu & lachrymis plenum; nouum hoc lætitiam, & gaudium resonat: ac corda nostra, mœrore, quo conficiebantur, deterso, hilaritate refecit, et animos nostros instaurauit. Redacta Polocia in potestatem suam, rebusq́; ibi constitutis, non quiescit, vt nostri olim solerent, victoriosus Rex: non contentus animus ille generosus hac vna victoria. Munita igitur ciuitate illa, ad cætera recuperanda se infert, & intra vertentem annum, vrbem illam, quæ ab amplitudine pratorum, & planicie amænißima, nomen accepit, Welkolucum aggreditur, & tertio postquàm obseßa eßet die, expugnat, ac munitiones nouas excitat, præsidijsq́; munit, & alias vrbes ipse cum suo exercitu oppugnat: ad alias, simili prædito animi robore, & laborum patientia, Magnificum virum D. Joannem Zamosium, regni Cancellarium dimittit, ac multas

multas munitiones difficilimas expugnat, & in potestatem suam redigit, nunciumq; suæ victoriæ ad nos mittit, cantariq; Domino canticum nouum nos iubet. Quæ calamitas hostem, cùm parum moueret, vt potè eum, qui non solùm suorum salutem contemneret; sed etiam optimos & fortissimos suos principes crudelissimè necaret, ad caput imperij eius Serenissimus Rex noster exercitum ducit: Plescouiam amplissimam vrbem obsidet, & machinis muros verberat: ac nihil eorum, quod ad capiendas & expugnandas vrbes munitissimas necessarium esset prætermittit: erumpentes ex vrbe cædit: muro perfoso, ac militem nihil cunctantem, in apertum murum inuadere iubet; qui cum locum apertum, turresq; vicinas, sua virtute occupasset, egregiúmque specimen virtutis & fortitudinis daret, nihilò secius tam pientissimus Rex, quòd videret, à multitudine hostium pauciores suos, plures enim loci angustia non capiebat obrui, & à puluere sulphureo per cuniculos turribus subiecto, periculum eis imminere, nihil cunctatus eum reuocat, malens militum saluti consulere, quàm vel ipsam vrbem eius interitu capere. Nec satis visum est vrbem premi, pars exercitus in interiora Moschouiæ mittitur, omnia igni & ferro vastantur, vt hoc modo vel hostem in aciem eliciat, vel commotum clade suorum, ad pacem petendam adducat. Quo facto cùm hostem parum permoueri, discessumq; suum hyemis timore, quæ in illis locis sæuissima esset, expectare videret; statuit in eodem loco hyemare, & hostem docere, se non solùm arma hostilia non metuere; sed etiam pruden-

tia sua, & patientia, hyemis asperitatem, & iniurias cœli superaturum, ac iterum pars exercitus in penetralia Moschouiæ mittitur, omnia hostiliter vastantur, ipse Moschus vbi sit perquiritur. Quam animi constantiam Regis, cùm hostis videret; frustra se tergiuersando tempus absumere iudicat: ac ne ipse in sua regia obsideatur, metuit, ad pacem petendam seriò animum flectit, moxq; opera legati Pontificij de fœdere agit. Quod fœdus ita confectum est, vt Poloniam nunquam, & Regis, & impendij ad bellum facti, pœnitere poterit. Restituitur Liuonia tota, traduntur arces, cum machinis bellicis & armis: non solùm Polocia relinquitur Regiæ potestati, verùm etiam arces multò ante Polociæ oppugnationem, à maioribus Moschi occupatæ, redduntur, ac Polociæ adiunguntur: sola Velkolucorum restitutione, & solutione oppugnationis Plescouiæ Moschus cõtentus; cætera omnia Regi vt voluit concessit, ac de cæteris iudicio Pontificis Romani se decertaturum promisit, iudicio potiùs quàm armis, quibus olim orbem terrarum terruit, experiri exoptans contra inuictum Regem. Atq; hoc est canticum nouum: quod vt cantemus Domino, Serenissimus Rex noster literis de victoria et pace confecta ad nos datis, voluit. Cantemus igitur Domino, qui gloriosè egit, qui hostem nostrum terruit, ac ita terruit; vt nec aspectum armorum regiorum sustinere potuerit. Cantemus Domino, quòd miseram Liuoniam è dura seruitute liberauit: quòd nostra recuperauerimus: quòd fidem Catholicam primùm per hæreticos, deinde per ipsum hostem, qui perfidiam hæreticæ

doctrinæ

doctrinæ puniuit, ex locis illis amotam, in suum locum pientissimi Regis nostri bonitate, restitui audiamus, ac pacem optatam habeamus. Cantemus Domino canticum hoc nouū, annunciemus gloriam eius, celebremus misericordiam in nos summam, ac vt eundem animum Regi nostro aspiret, contra pestem orbis terrarum Tartaros, rogemus; vt aliquando scelerum suorum, et tot prædarum, pœnas meritas, inclyto huic principi dent, ac gloriam eius augeant, nosq; metu tam fœdæ gentis liberemur. Cantemus canticum nouum, cantemus cum Diuis Ambrosio & Augustino canticum eorum lætissimum, Te Deum laudamus.

ORATIO IIII.

D. IACOBI GORSCII APVD SERENISSIMVM REGEM STEPHANVM LEOpoli Cracouiam reuersum habita.

QVOD A DEO OPTIMO MAximo assiduè precati sumus, Sereniss: Regia Maiestas, Domine D. clementissime, dies hæc nobis repræsentat, precésque nostras, & vota nostra, pro Maiestate vestra suscepta, à Deo Patre exauditas esse, re ipsa testatur. Cùm

enim ab eo ipso tempore, quo Sacra M. V. susceptis regni huius habenis, ab hac vrbe discesserit, semper M. V. maximis in laboribus & periculis grauissimis versari, belloq́; improborum ciuium, & sociorum excitato, teneri videremus; nunquam destitimus Deo omnium misericordiarum patri supplicare, votaq́; pro incolumitate M. V. facere, & summis precibus nostris ab eo exposcere, vt M. V. in hanc ipsam vrbem incolumem, rebus ex sententia confectis, hoste repræsso, ciuibus proteruis in ordinem redactis, ad officiumq́; reductis, reduceret: ac vt vniuerso regno ornando; ita rei literariæ nostræ tuendæ incolumem, & felicem conseruaret. Quod, quoniam ita vt precati sumus accidisse, dies hodierna repræsentat; Deo Opt. Max. qui nostras preces audire dignatus est, gratias agimus: vtq́; M. V. eadem incolumitate, felicitateq́; frui perpetuò faciat; orare eius benignitatem non desinemus. Atq; equidem Sereniss: Rex, Domine D. clementissime, cùm omnes omnium ordinum homines, totumq́; hoc regnũ gratias meritò Deo Opt. Max. agere debeant, quod M. V. & regni huius Regem esse voluerit, & incolumem, felicemq́; seruat; tùm verò nobis, qui rei literariæ curam, studiúmque suscipimus, maximè id conuenit; qui in M. vestra eas ipsas literas, & eam bonarum artium excellentiam ita lucere videamus; vt ea cum splendore Maiestatis regiæ certare videatur: nec minorem dignitatem M. vestræ afferat; quàm ipsius Regni maiestas affert. Vehementer certè omnes eas virtutes in alijs admirantur; in quibus ipsi consequendis ac tuendis elaborant

laborant

laborant, vehementíque studio erga illos accenduntur; quos in eodem curriculo, in quo ipsi desudant, principem locum tenere videant: & exemplo eorum ad omnem illam rationẽ effingendam excitantur: neque quicquam ad excitandos animos ad virtutem, studiáque literarum colenda efficaciùs, et vehementiùs fuerit, quàm principum studia; ad quorum exemplum, orbem totum componi, grauissimè quidam pronũciauit: vt cùm primùm Augustus Cæsar pòetices studium adamare visus esset; statim Roma Græcos etiam ipsos, & numero, & præstantia pòetarum superare contendit: Nero in theatro cecinisse visus, tota vrbs studium canendi complexa, nemóque repertus, qui principi illi cantando operam suam ac ingenium probare nollet: Adrianus astra suspexit, Mathematicorúmque studia probauit, quis cœlum ipsum conscendere non sit conatus? nullum certè calcar acriùs est ad incitandum homines, ad omne genus & artium & virtutum; quàm exempla principum. Cùm igitur in M. vestra tantus splendor eruditionis, & literarum reluceat; quis erit in hoc regno, qui ad complectendas et ingenuas artes, et eos ipsos colendos, qui eas profiteatur, non excitetur? qui literarum studia non complectatur? qui in eo genere excellere non contendat? Est igitur, quòd Deo Opt: Max: gratias agamus: qui pro sua in hoc regnum benignitate, M. vestram talem regem nobis et dederit, & incolumem, felicemq́; conseruat: est, quòd felicem regressum in hanc vrbem bonarum artium altricem M. V. gratulemur: est, quòd Academiæ nostræ gaudeamus. Quam quidem Academiam et rem

literariam

literariam nostram, vt benignitate sua M. vestra complectatur, & in suum patrocinium recipiat, per eas ipsas literas, quæ M. vestræ tantum splendorem inferunt, & tantam dexteritatem in rebus agendis, regnóque gubernando præstant, rogamus. Non equidem ignoramus Serenißime Rex, Domine D. clementißime, multos eße, qui nos, & totam huius Academiæ studiorum rationem, moresq́; apud M. V. repræhendant, grauiusq́; accusent, & plerique etiam crimina confingant: quorum oratio, crimenq́; quale fuerit, si præsentes apud M. V. nos accusauerint, facilè apparebit: qua de re pluribus agere, nec loci huius, nec temporis huius fuerit: certum accusatorem, certaq́; crimina isthæc ratio postulat. Nunc M. V. supplices oramus, vt nostrum officium & salutationem hanc nostram, in meliorem partem interpretari, nosq́; cum tota re literaria nostra, benignè in suum patrocinium recipere dignetur.

ORATIO V.

ORATIO V.

D. IACOBI GORSCII

GRATVLTORIA,

Apud Illuſtrem & Magnificum D. IOANNEM ZAMOSIVM, Regni Poloniȩ Cancellarium, à bello Moſcouitico reuertentem, & poſſeſsionem præfecturȩ Cracouien: cernentem, habita.

SI DIVINVS ILLE PLATO, *rectè diuinauit, cùm diceret, reſpublicas tùm demum felices ac beatas fore, Illuſtris ac Magnifice Domine, cùm eas aut Philoſophiæ amatores gubernarent, aut qui gubernent, philoſopharentur: certè noſtra Reſpublica, optimo iure beata & felix eſſe debet; quæ tota in poteſtatem eruditiſsimorum virorum venit; quæ non modò regem omni genere eruditionis excultum, & ingenuis artibus exornatum, conſequuta eſt; verùm etiam Senatores eos habeat; qui nullum genus literarum, nullam partem philoſophiæ, ac ſcientiarum prætermiſerunt. Inter quos illuſtris ac magnifice domine, primas partes, et locum principem facilè tenes, & vt dici ſolet, familiam ducis: qui non ſolùm per tranſen-*

nam opes philosophorum aspexeris; sed in penetralia eorum totis patentibus valuis ingressus, omnia penitiùs euolueris, omnia introspexeris ac pertractaueris, omnesq; illas sapientiæ eorum rationes, consilia, dogmata, et arcana eruditionis exhauseris. Nunquam certè eruditiorem senatorem, regiorúmque consiliorum moderatorem tua Ill. M. hoc Regnum habuit. Superasti ingenio, superasti omni genere literarum et eruditionis, non modò eos, qui in Republi: gubernanda, & rebus agendis occupantur; verùm ipsos etiam Philosophos, ac omnium scientiarum professores, longè post te reliquisti: & tuo ipsius exemplo multos esse discipulos magistris suis meliores demonstrasti: nosq;, vt dicere non dubitemus, verum illud Græcum esse, πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων *confirmasti. Nam cùm illi semper in contemplandis illis eruditorum opibus desideant, ac inter paucos eas explicent; Ill: M. vestra è tenebris illis eductas, in forum, in Rempublicam, et in lucem hominum eas transtulit: ac non solùm inter subsellia senatus et iudiciorum; verùm in ipso etiam solio Regum locauit: & quàm splendens ille eruditionis thesaurus Philosophorum fuerit; omnium oculis subiecit: omnibusq;, quæ sit vis literarum, veræq; philosophiæ, non solùm in Republica gubernanda, controuersiis ciuium componendis, legibus firmandis, pace conseruanda, ciuibúsque in officio retinendis; verùm etiam in bellis gerendis, hoste aggrediendo; vrbibus expugnandis, fœderibus conficiendis, planè nobis demonstrauit: & legendis historijs, rebúsq; literis mandatis perscrutandis, prudentem et inuictum imperatorem effici posse docuit:*

Vis literar[um] (handwritten margin note)

prudens imperat. (handwritten margin note)

se docuit: ineptosq́; eos esse, qui artibus ingenuis, qui Philosophiæ præceptis in republica gubernanda modicum, in bellis gerendis & disciplina militari nihil concedant, ostendit. Quos cùm veterum exemplis, ac ipsius L. Luculli, qui cùm rei militaris imperitus esse videretur, inter nauigandum, tùm legendis veterum munimentis, atq; historijs peruoluendis, tùm à peritis percunctando, summus imperator factus esset, refellere vix possemus, vetustissima enim & obsoleta ijs viderentur; Ill: M. V. ad eam opinionem profligandam, nobis præstò adest: quæ viuo exemplo, ac rebus præsentibus indubitatísque, eam sententiam eorum falsam esse vrgeat, eruditionemq́; solidam, & rerum multarum & magnarum, vetustatis, & rerum gestarum cognitionem, in Repub. tum pacis, tum belli tempore, magna præsidia principibus viris subpeditare, suo exemplo doceat, et tametsi non verbis, & oratione longa, eos, ad studia bonarum artium, philosophiæq; capessenda, & arctiùs complectenda; re ipsa tamen, & exemplo præsenti, rebúsque magnificè à se gestis, et tota Repub: optimè moderanda hortatur: & quæ ornamēta, quas facultates rerum agendarum principibus in repub: viris præstent, demonstrat. Quis erat, qui cum Ill: M. V. in literis, Academiisq́; ætatem transegisse videret, bellis nullis interfuisse, antequam ad gubernandam rempub: accederet, meminisset; tantam dexteritatem in bello gerendo, vrbibus tum obsidendis, tum expugnandis, hoste vrgendo, omnia & prudenter aggrediendo, & felici, optatóque fine terminando, ab Ill: M. V. expectaret? qui imperium illi de-

ferri vellet: qui non offensiones potiùs belli timeret; quàm victorias speraret, ac scholasticam rerum gerendarum, & rei militaris insolentiam non obijceret? Quam opinionem omnium Ill: M. V. de se, egregiè, & prudentissimè, & repu: tota gubernanda, & bello hoc Moschouitico difficili & arduo gesto, & tot, tantisq; victorijs de potentissimo hoste reportatis, refutauit: ac in eam sententiam animos hominum traduxit; vt & sentiant & fateantur, nemini Respublicas gubernandas commodiùs committi, quàm viris eruditis, & omni genere literarum perpolitis, posse: & nihil meliùs regno, rebusq; nostris accidere potuisse; quàm quòd Serenissimus Rex noster, pro sua singulari sapientia, inter cæteros viros amplissimos, te præcipuè delegerit, cuius consilijs, & prudentia, totam rem gereret: ac non solùm domi, ciuilibusq; negocijs; verùm etiam in bello & suscipiendo et gerendo, fœderibus cum victo & supplici hoste firmandis, & pace constituenda, vteretur, & quem summæ rei præficeret, cui omnia & sua, & totius regni consilia crederet, & in cuius sapientia acquiesceret. Magni viri memoria & nostra & maiorum nostrorum in hac Repub: fuerunt: multa egregiè gesserunt: magna documēta excellentis ingenij sui rebus agendis dederunt: quæ tamen omnia, si cum ijs quæ M. V. & domi, & in bello gessit, conferantur; minora, quàm existimarentur, appareant, & priorem locum vestris & victorijs, & rebus gestis concedant, necesse est. Nā quemadmodum Regia M. omnium regum gloriam suis rebus gestis, & prudentiam magnitudine ingenij sui adumbrauit;

Viris eruditis Repub. committenda

brauit; ita M. V. omnes eos, qui vel domi, vel in bello ijsdē officijs, quibus M. V. nunc cum magna salute, & magno fructu regni huius fungitur, perfuncti sunt, superauit, & obscuriores suo splendore reddidit. Quod cur ita sentiam, enumerandis tuis virtutibus, ac rebus gestis, me non temerè sentire facilè demonstrarem; sed neq; tuam M. in os laudare, quod prudentibus viris & modestis molestum esse soleat, neque ita, vt par fuerit, egregia facinora tua, & in Remp: merita referre volo: aliud tempus illa, paremq; magnitudini suæ orationem postulant; quàm hoc spatium nobis apud M. V. datum ferret. Non sumus equidem ignari esse nonnullos, qui omnia omnibus, imò sibi ipsis etiam, Ill: M. Vest: tantam gloriam, hunc tantum & dignitatis & rerum agendarum splendorem, inuideant, obtrectareq; rebus tam magnificè gestis, & omnia in deteriorem partem interpretari non erubescant; qui se solos magnos et Reipub: gerendæ, imperatorijsque muneribus dignos iudicent; cùm nihil minus, quàm hoc præstare possint, nisi fortè inuidere, & maiorum facta egregia, à quibus longissimè absunt, iactare, plenisq; tubis sonare, & res arduas, tùm domi Repub: gubernanda, tùm in bello gerere, idem esse putent. Quibus liuori suo relictis, ad Illustrem M. V. redimus: de cuius tamen laude, dignitate, literarum cognitione, & in omni genere eruditionis excellentia, in moderanda Repub: iurè dicendo, iustitia firmanda, rebus in bello gestis, victorijs clarissimis, quæ in omnium oculis hærent, quæ bonos ciues, et virtutem, prudentiamq; amantes, oblectant, inuidiæ verò

inuidia

animi Polonorum

oculos vrunt, nihil nunc dicere constituimus; ne ea commemorando, & M. T. quam præsentem laudamus, & ijs clarissimis viris, qui T. M. adsunt, molesta oratio nostra sit. Illud certè tacere non possum, me tuas istas virtutes, eruditionem tuam, res et domi, et in bello, tam prudenter, tam constanter gestas admiratum, cùm hos eruditos viros, qui me circumstant, tùm verò iuuentutem hanc, regni huius filios, & reipub: seminarium, ad Ill: M. V. deduxisse; tùm, vt virtuti tuæ tam excellenti, hísque præclaris artibus, quibus rempubli: nostram conseruas & auges, honor debitus à nobis redderetur; tùm vt ijs ipsis iuuenibus, qui in eodem nunc curriculo literarum, in quo Illu: M. V. omnes vicit, decurrunt, exemplar I: M. T. proponerem: et exemplo eius præsenti, & viuo, ad studia literarum sedulò colenda, excitarem: quæq; præmia laboris sui & studiorum exspectarent, ostenderem; & tuo diuino exemplo, tùm ad literas, tùm ad omne genus virtutis colendum, impellerem. Quod consilium nostrum, studiumq; nostrum erga I. M. T. vt benigè & pro lixè accipias, rem literariam nostram, studia bonarum artium, quæ teipsum tantum virum, & reipub: principem reddiderunt, ac tanto splendore rerum gerendarum illustrarũt, ames, augeas, & tuo patrocinio tuearis, nosq;, & literas nostras, in tuo præsidio acquiescere facias, & felicitatis, beatitudinisque, quam Plato ab eruditis principibus nobis pollicitus est, participes reddas, etiam atque etiam rogamus. Dixi.

32

CRACOVIÆ.
IN OFFICINA LAZARI. ANNO DOMINI.
M. D. LXXXIII.